



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 1. Cæciæ vento similes esse peccatores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

ciat Deus, qui protestatur sibi fieri, quod fit
suis? Nunc ad pœnæ talionem accedamus.

C A P V T IV.

*Cacia, nubes in se trahenti, similes esse,
qui malum, quod alijs parant, patiun-
tur, idq; Poetarum & fabularum
exemplis declaratur.*

§. I.

Cacia vento similes esse peccatores.

VEntus, cui Cæcias nomen, qui media
inter Aquilonem & exortum regione
flat, à Plinio scribitur, vnus contra
aliorum Septentrionalium ventorum natu-
ram, non pellere, sed *in se trahere nubes*, in
Ponto. Aristoteles putat, eum circa ortus
æstiuos spirare; quòd autem nubes, non mo-
re reliquorum ventorum, à se abigat, sed ad
se vocet, causam existimat esse, vel quia
alius ventus reflat aduersus, eodẽ tempore;
vel quia hic è sublimi cæli parte spirans, pu-
ta orientali, non transuersus per terram fer-
tur, sed recuruata linea, propter reflexum,
vnde exortus est, eò recurrit. Animaduersa
hac Cæciæ natura, Sertorius Cacitanos, vel
Characitanos hostes ad deditiõem coëgit
in hunc modum. E regione speluncarum, in
quibus

Plin. lib.
2. nat. hist.
46. Arist.
lib. de
Mundo &
Meteor.
& sect. 26.
Problem.
A. Gellius
I, 2. c. 22.

Plutarch.
in vita
Sertorii

quibus illi se continebant, obiecit aggeres cinericios. Quibus incurfatione equitum concitatis, Cæcias tantum pulveris in fauces speluncarum deuexit, vt, cùm ferre non possent, se se Sertorio in manus darent. Natum est ex hac ventj indole prouerbium, *Mala attrahens ad sese, vt Cæcias nubes.* Cæciæ similes sunt peccatores; & maximè illi, quorum malitia alios violat. Nam, vt etiam est in adagio, *sibi parat malum, qui alteri parat,* teste Democrito Chio. Et, si aliud malum non rediret ad authorem, certè quisquis aliū fraudat pecunia, seipsum spoliat bona mente. Itaque grauiùs seipsum lædit, quàm alterum.

Apud
Arist. lib.
3. Rhet.

§. II.

Circino, & circumforaneorum pyxidi similes, qui aliorum famam maculant.

Quamquam interim etiam plerumque eodem plectitur malo, quicumque alteri intulit malum, diuina quadam lege talionis; vt in quo quis peccat, in eo & puniatur, similis circino, cuius pes alter, in circulo describendo, ad idem punctum recurrit, vnde cœpit; aut circumforaneo, qui ridiculi causa hominibus os sublinnit. Is enim postquam pyxidem, cuius operculum vndique est cir-

D 2

cumfo,